



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis**

**Ugolinus, Bartholomaeus**

**Venetijs, 1609**

Prooemium Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

# PROOEMIUM

## AD LECTOREM.



**H**ABES tandem humanissime Lector Dei benignitate Tractatum De Bulla Cœne Domini sæpius a me antea tibi promissum: qui idcirco usque in hanc diem in lucem editus non est, quoniam, ex quo in ipso res maxima aguntur, ut scilicet Christiana fidei candor in Sacrosancta Ecclesia e-luceat, ut Ecclesiastica libertas conseruetur, ut charitatis donum vigeat, & ad summam, ut Christi fideles in officio contineantur, ne prae propera editione cum graui offensa er-raretur, maturius erant hæc agenda, & cautius. Sumpta igitur Bulla, Cœne Domini, a Clemente Octauo Pont. Max. edita, eaque in tres partes distributa. In priori uti proœmio quodam generatim quæstiones decem & septem, quo censurarum omnium, quæ per Bullam feruntur, cognitio dilucidior esset, præmisi. In altera vero parte, ut tractatione, viginti capita continente, quibus Bullam offendentes censuris afficiuntur, hoc ordine explicauit. Primum enim si quæ vocabula obscuriora paulo, ac minus nota essent, quid significarent, declarauit. Deinde, qui Bullam offendendo in censuras ab ea latis inciderent, regula proposita aperuit. Postremo, qui censuras euaderent separatim excepi. In posteriori demum parte tractationis, ubi de Absolutione a censuris potissimum agitur, quæ per Bullam lata sunt, quod octo partes complectitur, in totidem capita eam distribui, & regulis, quæ in singulis partibus aguntur, vniuersa comprehendit. Quæ agendi ratio in toto hoc opere a me perpetuo seruata est, hoc enim modo fieri posse existimaui, ut explicatio illustrior redderetur, & confusio nunquam mihi amica tolleretur. Hilari animo igitur primum Tractatum de Censuris Romano Pont. reseruatim accipias, reliquos propediem si mihi Dei benignitate vita cõ-tigerit, accepturus. Quo enim absolutam tractationem censurarum, necnon earundem absolutam cognitionem a me habeas, ex quo generatim de Censuris alias egi, ut in ini-tio infra dixi, speciatim de ipsis, & primo de reseruatim Romano Pontif. deinceps de reliquis agendum mihi proposui. Vale.